Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

unico et unigenito. Opus patris est autem uestimentum suum. de quo supra dictum est. secundum psalmum dicentem amictus lumine sicut uestimento. scilicet angelicam creaturam dicendo fiat lux. et hanc mundi fabricam in qua fecit hominem ad imaginem et similitudinem suam. quorum omnium nichil hoc ipsum esse debuit aut potuit quod est ipse qui fecit. uel comparari ei quod idem factor genuit. sicut fabricata uel pictura nullo modo idem esse potest. quod est faber uel pictor. uel quod ille de carne sua genuit. Dignum uero laude est et curiositati nostre debet sufficere. quod tale creaturam potuit facere omnipotens que capax eiusdem factoris possit existere. et diuinitatem quam non habet per naturam. ualeat consequi per industriam. Igitur commutabile esse oportuit angelum et hominem ut pote de nichilo creatos. et enim illud unde facti sunt de nichilo creatum est. Et creatus quidem est utique purus et innocens. sic uidelicet ut de ipsa innocentia uel proficere ad summa. uel deficere possit ad ima. Proficere namque unico et adhuc proficere sanctos angelos apostolus quoque testis est. qui scribens ad ephesios ut innotescat inquit principatibus et potestatibus in celestibus per ecclesiam multiformis sapientia dei. Itaque in eo statu factis omnibus angelis ut uel proficiendo in id proficerent. uel deficiendo in id ipsum unde facti fuerant idest in tenebras reciderent. alii quidem dilectionem creatoris recipientes confessione et decore illum induerunt. et sic eis creator amictus est sicut uestimento assidue clamantibus. sanctus. sanctus. sanctus. dominus deus sabaoth. et sic illis non inquietis existentibus uidit deus lucem quod esset bona. et in operibus suis letatus est. xvi.

Vidit magnus unus de magne curie principibus cui audiuimus superbiam quia superbus ualde est. et superbia eius et indignatio eius plusquam fortitudo eius. Initium namque peccati eius superbia fuit. quia tumens nimie sui uisus est. plenusque sapientie et perfectus decore. et nichilo indigens sapientie dei. cum in splendore suo complaceret sibi. Unde eum in propria apud ezechielem dicit cherub. id est plenitudo sapientie. uidetur quia sapientie dei terreus est comparare dicendo deus sum ego. et in kathedra dei sedi. et dedisti cor tuum quasi cor dei. Et paulo post dicit idem propheta cum imperio et yronia. Tu signaculum similitudinis plenus sapientia. et perfectus decore. in deliciis paradysi dei fuisti. Omnis lapis preciosus operimentum tuum. sardius. topazius. iaspis. chrisolitus. et onix. et berillus. sardonius. carbunculus. et smaragdus. aurum opus decoris tui. et foramina tua in die qua conditus es preparata sunt. Tu cherub extentus et protegens. et cetera. Hoc in qua cum yronia dictum est. idest non quod reuera omnis lapis preciosus ornamentum eius fuit. et eum nouem angelorum ordines qui preciosos significant lapides solius creatoris ornamentum sunt. et ipse amictus est hoc lumine sicut uestimento. qui ad laudem et gloriam suam creauit eos. sed quia sic se conuenire arbitratus est. in quo et falsus est. Quod uidetur yronice esse dictum ex alio propheta clarum est. qui sic illi imperat. Dicebas in corde tuo. In celum conscendam. super astra celi exaltabo solium meum. sedebo in monte testamenti. in lateribus aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium. similis ero altissimo. Ista per astra dicit idem qui per nouem lapides angelorum designati sunt ordines. Ergo sicut numquam reuera super astra dei sedem suam posuit. uel similis altissimo fuit. sic non uere umquam omnis lapis preciosus ornamentum eius extitit. sed sic se arrogauit. sic dixit. sic putauit. non uere lumen. sed rebellis luminis. Huic sensui forte illud repugnare uidetur. quod eadem auctoritate prophetica perfectus in uiis suis perhibetur cum dicit. In medio lapidum ignitorum ambulasti. perfectus in uiis tuis a die conditionis tue. donec inuenta est iniquitas in te. Durum est hic asserere illum non fuisse perfectum. durius autem affirmare illum habuisse umquam in se creatoris dilectionem. sine qua nulla est perfectio uirtutis. Nam et superbia perdictus dixit aurum opus decoris tui. et foramina tua in die qua conditus es preparata sunt. non tamen et hoc dicit ut ullo modo significat quod eisdem foraminibus auri ligaturam receperit. quia uidelicet cum sit rationalis creatura utique ingenium. intellectum. et me-